


(2)

HAD. BARLANDI
TRAIECTEN-
SIVM EPISCOPO-
RVM CATALOGVS
ET
EORVM RES GESTÆ.



FRANCOFVRTI
Apud Ioannem Wechelum, impensis
Sigismundi Feyerabendij.
M D LXXXV.



(2)

HAD. BARLANDI
TRAIECTEN-
SIVM EPISCOPO.
RVM CATALOGVS
ET
EORVM RES GESTÆ.



FRANCOFVRTI
Apud Ioannem Wechelum, impensis
Sigismundi Feyerabendij.
M D LXXXV.



3

HADRIANI BAR-
LANDI CATALOLVS EPI-
scoporum Traiectensium, &
eorum res gesta.

Guilibrordus, dictus
Clemens.



Guilibrordus natione Saxo, primus fuit Traiectensium Antistes. qui dignitatem adeptus Clementis nomen assumpsit. Pueritia huic exacta inter viros pietate insignes, quorum assidua consuetudine iuuenis & optimus euasit, & in studijs bonarum artium ita paucis annis profecit, ut equales suos rerum

4 CATAL. EPISC.
scientia infinitis partibus anteierit. Postea sacris initiatus xxx. aetatis anno proficiscitur in Germaniam, ubi sua predicatione multos mortales ad unius Dei cultum pertraxit; sed & alijs perlustratis regionibus dogma Christianum longè lateq; propagavit. Per hæc atq; alia pietatis opera Ecclesie Traiectensi præfectus, Christi nomen suorum animis inserendo, longè optimum egit Antistitem. quod hodie est in ea urbe D. Martini celebre templum idem consecrauit, potitusq; est dignitate annis ferme XL.

Boni-

TRAIECTENSIVM. 5


Bonifacius.

A CIVIS morte præfuit quidam Bonifacius nomine, vir insigni pietate. Nihil hic quoq; prius habuit, quam exstirpatis erroribus infide continere populos, qui semel baptismo admoti nomen duci Christo dedissent. Quot annis Traiectensem Ecclesiam rexerit non inuenio. illud constat, à Frisiiis eum interemptum, quibus per id tempus Christianum nomen inuisum erat.

Gregorius.

ECCLIESIA sic à Guilibrordo & Bonifacio, viris lau-

Aa iij



datissimis, piè sancteque institu-
ta, postea Gregorium habuit
Antistitem, quo administran-
te Traiectum ex Anglia ve-
nit quidam vir non tantum
doctus, sed & integer, qui non
multò post in Canonicorum
adscitus Collegium Gregorio
iam per senilem aetatem admi-
nistrationi minus idoneo soci-
us adiungitur, quumque unà
mensibus aliquot summa con-
cordia profuissent, Adelbri-
co in Italiam ablegato nego-
tij causa, Gregorius in morbum
incidit. Amici, & qui eum
sectari solebant, ubi inualesce-
re indies malum animaduer-
tis-

TRAIECTENSIVM 7
tissent. ubertim flere, quòd opti-
mo se patre mox priuatum iri
viderent. queri etiam coepe-
runt, maximo suo detrimento
à patria longissimè abesse A-
delbriculum. itaque Gregorius, ut
tristes suos aliqua ex parte con-
solaretur; Nihil est (inquit)
fratres quod vereamini; non
enim prius moriar, quàm ille
huc redierit saluus. Neque de-
fuit vaticinio euentus. nam
triduo antequam è viuis ex-
cederet Gregorius ex Italia
reuersus Adelbricus in locum
defuncti collega maximo atque
incredibili omnium gaudio
subrogatur.

Adelbricus.

HUIUS Episcopatu inuen-
tum Dauentria corpus D.
Lebuni, quod aliquantò antè
diu multumq² questum impij
Saxones in nihilum redigere
decreuerant. Adelbricus iã
Antistes non (ut hodie faci-
unt) equos alebat, neq² canes
ad venandum, sed populum
docere, orare pro salute gregis
sibi cõmissi suum esse officium
existimans, nihil agebat ali-
ud. In hoc studio quum annos
aliquot exegisset, vitam cum
morte commutauit. Corpus
eius Traiecti sepulchro illa-
tum in æde Saluatori sacra.

Theo-

Theodardus.

SVCESSIT Adelbrico Theo-
dardus natione Frisus. Hic
vir optimus idemq² longè do-
ctissimus nũc alios diuinarum
literarum interpretes audie-
bat, nunc ipse docens popula-
rium suorũ animis Christum
inserebat; maximum existi-
mans in earesitũ esse fructum
charitatis. Taceo exantlatos
labores: nihil dico de ieiunijs,
in quibus tam frequens fuit,
ut suprã modũ affligeret cor-
pus. Quam diu præfuerit, non
tradunt Commentarij quos
sequimur. Sepultus e² hic est
in Æde Saluatoris.

Hermacarus.

HERMACARVS, qui Theodardo superiori suffectus est, vir sanctissimus; nihil ipse quoq; pulchrius duxit, quam noctu preces ad Deum fundere pro salute humani generis, interdum vero populum hortari ad omnia pietatis officia, vel hoc solo nomine dignissimus, qui quàm diutissime praeset. Hunc etiam defunctum Traiectenses in Saluatoris templo sepelierunt.

Ritfridus. aliàs Rixfridus.

SEQVITVR Ritfridus patria Frisus, qui Traiectinae Diocesi multis à Carolo magno impe-

impetratis Privilegijs tandem senio confectus in febrim incidit, quam mors sequuta est. Obitu eius Antistitis, qui parem vita sanctimoniã cum eruditione copularat, civitas mœrore affecta ad saluatoris templum multis eum cum lacrymis extulit.

Fridericus.

SVBIICITVR in defuncti locum Fridericus claris ortus natalibus in Frisia, qui tamẽ oblatum sibi Episcopatus honorem diu recusavit, populum adhortans, ut alium quererent, cui tutius res tanta

committi posset. rogatu tandem & precibus Imperatoris Ludouici Pij suscepit administrationem ingenti totius gaudio Ciuitatis, cui sanctitas viri pietasq; perspecta erat. Compositis igitur inchoatis rebus in Zelandiam profectus assiduus concionibus eius insula gentem ab illicitis coniugijs (quibus tum vacabat) reuocatam ad sanctioris vite retraxit institutum. Postea perlustratis etiam alijs locis, multos sua predicatione ad Christum conuertit. increpuit & Ludouicum Imperatorem sapientius, quod ipse quoq; in ma-

trimo-

trimonio illicito consenesce-
ret. atque per hac inuisus eius
uxori, immixtis quodam die
ab eadem percussoribus, gra-
uiter vulneratur. conuocatis
itaque suis primium iussit eos
bono esse animo; non defutu-
rum etiam se defuncto bonum
Pastorem. Deinde commen-
data superis anima exspira-
uit, magno relicto sui apud o-
mnes desiderio. Corpus eius in
Saluatoris Basilica. tumula-
tum est.

Alfricus.

ALFRICVS, Friderici supe-
rioris frater, inde fit Epi-
scopus, vir sanctitate illustris.

Hoc administrante, fatali lege consumptus Traiecti est Odulphus Confessor, qui Frederici temporibus illuc venerat. Extinctus Africus ipse quoque est in aede Salvatoris humatus.

Lutgerus.

LUTGERVS in demortui locum Episcopus declaratur, homo non solum eruditus, verum etiam sanctus. Nonnulli scribunt huius temporibus Brixia ciuitate Italia tribus continuis noctibus ac totidem diebus sanguinem pluuisse. Hic Antistes quoad Ecclesia praefuit continentia amicus, saepe
humi

humicubare, saepe etiam noctes totas orando consumere solebat. Eius corpus multa veneratione ciues templo Salvatoris intulerunt.

Hungerus.

SEQVTVS Hungerus multa vir sanctitate, nec minore doctrina. cuius administratio incidit in ea tempora, quibus ecclesiam Traiectensem latissimè depopulati sunt Dani. quae mala varijs praemonstrata sunt prodigijs, quae paulo ante id tempus apparuere. Stella visa sunt inter se concurrere: tempestas ventorum exorta, qualis post memoriam

hominum nunquam antea fuerat audita. flumina omnia adiacentibus campis infusa cum fœda villarum & animalium strage. Hæc atque alia multa tum accidere luctuosa. Hungerus Antistes iam gravis annis fato decessit.

Odilbaldus.

ODILBALDVS Friso post illum est Episcopus creatus. Magna huius viri sanctitas, magnū pietatis studium. quoties ægrotantes pauperes visitavit, inopiam illorum eleemosynis subleuans. Pupilis quoque & viduis ita affuit, ut nunquam non ab in-

iuria

iuria defensos a re suo aleret. Obijt anno sue creationis tricesimo tertio, fuitq; duodecimus in ordine Episcoporum.

Egilboldus.

HUIC suffectus est Egilboldus, qui solo pietatis studio pecuniam & opes omnes fortiter contempsit. Is mense sexto, quàm administrare cœperat, fatali est morte consumptus.

Radbodus.

IN cuius locum surrogatur quidam Radbodus, licet inuitus ac renitens. Hic vir sanctitate vite & doctrina venerabilis cōscripsit opusculum

Bb

de Guilibrordo & Bonifacio
 Diuis. Huius etiam est Offi-
 cium, quo in Horis Canonicis
 Ecclesia Traiectensis utitur
 in Festo Translationis Mar-
 tini Turonensis, gloriosi patro-
 ni sui. Inuenio in Commen-
 tarijs rerum gestarum Hollan-
 diae, Radbodum Antistitem,
 ferè toto tempore suæ admini-
 strationis Dauentria commo-
 ratum, propter Danos, qui
 Traiectum occupant. Idem
 Radbodus diuino spiritu affla-
 tus prædixisse fertur cuidam
 Baldrico optimæ indolis iuue-
 ni, futurum, ut exacto trien-
 nio ipse Traiectensium Ponti-
 fex

fex factus Urbem, quæ Dano-
 rum incursione varijs antea
 cladibus fuerat afflicta, in pri-
 stinum reduceret statu. quod
 certè euenit. Nã posteaquam
 annis septendecim Radbodus
 sedisset, hoc defuncto, omni-
 bus suffragijs Baldricus ele-
 ctus est. Radbodi corpus Da-
 uentriae Clerus magnifico se-
 peliuit apparatu, estq; hic pri-
 mus omnium Traiectensis ec-
 clesie Antistitum extra Tra-
 iectum sepultus.

Baldricus.

BALDRICVS iam Episcopa-
 tũ adeptus, primum omni-
 um, expulsis Traiecto Danis,

afflictam deformatamq; sciv-
 itia hostili Urbem reparavit.
 Postea in Italiam est profe-
 ctus, unde impetratis nonnul-
 lis ab Othone Rege, quæ ad
 Ecclesie Traiectensis ornamen-
 tum pertinebant, secum ad-
 uexit Benigni, Pontiani &
 Agnetis Martyrum corpo-
 ra, quæ Traiecti deposuit in
 eade D. Martino sacra. Pe-
 rijt fato v. I. Idus Januariis,
 anno sue creationis LIX. Ubi
 sit humatus non inuenio.

Volcmarus.

POST Baldricum Volcma-
 rus quidam summa vir bo-
 nitate præfuit annis XII. &

am-

amplius. Vbi sit funeratus non
 est proditum memoria ab his,
 qui res collegerunt Hollan-
 dicas.

Balduinus.

BALDVINVS patria Hol-
 landus inde Antistes fuit.
 ab hoc nihil reperio toto trien-
 nio, quo sedit, gestum memo-
 ria dignum.

Aufridus.

MORTVO Balduino subie-
 ctus est Aufridus illustri
 ortus familia. Hoc Pontifice
 Otho Imperator multa dona-
 uit Ecclesie Traiectensi, & post
 Othonem Henricus non mi-
 nus exstitit in eandem Eccle-

Bb ij

siam munificus. Aufridus, cum iam aliquot sedisset annis, utrunque oculum amisit. Idem non longè ab Amersfordia opido exstruxit Cœnobium Fratrum D. Benedicti. Obijt anno sue gubernationis XIV.

Adelboldus.

ADELBOLDVS quidam est inde creatus Episc. Ad hunc refertur tēpli Traiectensis instauratio, quæ incidit in annum à Natali Christi c. l. xv. Non multo post visa est crinita stella prodigiosa magnitudine, quæ præcessit bellum atrox, quod postea gestum

stum est inter Episcopum Adelboldum & Comitem Hollandia, in quo bello tam multi utrinque periere, ut conuulsa propè sint utriusque vires. Habuit Adelboldi Episcopatus quocunque obijt Hollandia Principe annos XIX. Hic Antistes in Basilica D. Martini situs est. Ab eodem nonnulli putant institutum esse Canonorum Collegium in Trelenſi Ecclesia.

Bernoldus.

DEFUNCTO Adelboldo susceptū legimus Bernoldum quendam, virum sanctitate insigni, cuius Pontificatio

obiit Theodoricus Comes I V.
 Hollandia, Hierosolymis do-
 mum reuersus. Paucis post
 annis Dordraci intra muros
 Coloniensis, & Leodiensis E-
 piscopi, & Theodoricus V.
 Hollandia Comes, infestis si-
 gnis cōcurrere, qua acie qua-
 dringenti nobiles cecidisse tra-
 duntur. Ad Bernoldum sunt
 qui referant Institutionem
 Collegiorum D. Petri & S.
 Ioannis Baptiste Dominici
 Praecursoris. Hic Antistes ex-
 tra urbem Traiectensem mo-
 ritur, quum annis XX. & am-
 plius praefuisset, estq; defuncti
 corpus Traiecti sepulchro il-
 latum

latum in templo D. Petri A-
 postolorum principis.

Gulielmus.

IN Bernoldi locum Guliel-
 mus Geldrici sanguinis E-
 piscopatum adipiscitur, vir
 armis insignis, de cuius tamen
 rebus gestis nihil inuenire po-
 tui apud scriptores. Anno gu-
 bernationis XXI. in humanis
 esse desijt.

Conradus.

GVIELMO vita functo suc-
 cessit Conradus, gente Sue-
 uus. Ab hoc exstructa Arx in
 Iselmonda ad Hollandorum
 vim inhibendam. Idem (ut
 reperio) instituit Collegium

*Traiecti Canonorum Dei-
paræ Virginis, haud multò
post interemptus à Frisio ho-
mine, cuius sibi, nescio quomo-
do, inuidiam conflauerat.*

Burchardus.

POST huius cadem legitimo
suffragio Burchardus qui-
dam electus est. in cuius tem-
pora incidit memorabilis qua-
dam in Turcas expeditio, qua
victi Turcæ, & Hierosolyma
expugnata. Hic Antistes re-
bus presuit annis XIV.

Godewaldus.

SUCCESSOREM habuit Go-
dewaldum Frisum. Hic est
ille, qui *Middelburgi* apud
Zelan-

*Zelandos eiectis Regularibus
Canonicis, qui omnia luxu
perdebant, curauit, ut ex mo-
nachis S. Michaëlis Antuer-
pia, cōplures illuc migrarent,
sanctius Deo militaturi. Hoc
Cænobiū postea studio ac dili-
gentia gubernantiū ad maxi-
mas opes peruenit. unde factū
existimo, ut nostris temporib.
Abbatibus eligendi potestate
monachis adempta, sæculares
Principes manus iniicere cœ-
perint eorum possessionibus.
Godewaldus exactis in Pon-
tificatu annis XV. monasticā
vitam amplexus haud multò
post ad superos abiit.*

Andreas Kuyckenfis.

SEQUITUR hunc Andreas quidam Kuyckenfis Comitiss filius, vir pacis & otij studiosissimus, qui in Egmondensi Monasterio apud Hollandos extinctam pacem pietatem reuocauit. De hoc nihil aliud memorabile proditum literis inuenio. Natura concessit anno sua creationis x. Traiecti maiorum sepulchro illatus.

Herbertus.

HIC sufficitur Herbertus gente Frisus, cuius temporibus Hollandia Princeps Theodoricus Traiectum valida manu obsedit. Itaq; Herbertus

bertus Antistes maximis copijs cinctus, primum ciues hortatus est, ut mœnia urbis defenderent: ipse deinde cum uniuerso clero egressus Urbem, ut Anathematis spiculum in Hollandos distringeret, eius metu eò Principem adegit, ut supplex veniam petierit. Huius nobis bellifacta mentio in eo libello, quem nuperrimè rogatu amicorum emisimus, de Principum Hollandiæ rebus gestis, maximè dignis memoratu. Herbertus fato mortuus est, quum annos XII. & menses IV. Ecclesia Traiectensi praefuisset.

Hermannus Hornius.

EST inde discordia laboratum Traiecti, civibus vehementer auersantibus eum Antistitem, quem nobiles aliquot surrogari in demortui locum percupiebant. Is fuit Hermannus Hornius D. Gereonis Coloniae Praepositus, qui non multo post interuētū Cardinalis cuiusdam à latere (ut vulgò dicitur) Episcopatu est adeptus, atq; ita resedit omnis ille motus. Hermannus verò nimis lenis ac mite ingenium, plū sine boni, an mali Traiectensibus attulerit, nescio. multi enim, quibus contemptui fuit
illa

illa viri lenitas, mala multa perpetrarunt. Hermannus quum sexēnium administrasset vita defunctus est.

Godefridus.

QUUM postea rursus discordarent inter se Canonici quorum erat eligere Antistitem, inopinato aduentu Friderici I. Imperatoris factū est, ut Godefridum quēdam maiorem Archidiaconum in defuncti Hermannus locum elegerint. Hoc itaque Godefrido, & Hollandiae Principe inter se acriter contendentibus de Frisia Imperio, ad eos tumultus sedandos Fridericus

Romanus Princeps in gratiam Godefridi Antistitis Hollandiam repetijt. Obijt Godefridus vir ingentis animi Episcopatus sui anno XXII.
Balduinus secundus.

BALDUINVS quidam huius nominis II. fit inde Episcopus, mansuetudine & castitate nulli superiorum Antistitum secundus. Hic adeptus eam dignitatem, neque suis, neq; domesticæ defuit nobilitati. Mortuus est anno XVIII. sua gubernationis.

Arnoldus.

HOC defuncto Theodoricus Hollandia, & Otho Geldria

dria Principes, quisq; cum ingenti armatorum manu Traiectum ingressi, omnia sic turpissima largitione interturbaverunt, ut Canonorum pars una Theodoricum superioris Balduini fratrem, pars altera elegerit Arnoldum quendam Isembergũ. Huic Otho, illi Theodoricus Hollandia Comes fauebat. In hoc statim annis aliquot exactis Pontif. Max. Arnoldum XXX. Episcopum declaravit. quo paucis post diebus Romæ extincto, eiusdem Pontificis decreto, Theodoricus in defuncti locum subijcitur, qui ad gre-

gem sibi commissum, ex Vrbe
Roma profectus in itinere
moritur.

Theodoricus II.

THEODORICVS qui post
duos illos, eodem tempore
electos, praefuit ab eo secundus,
cui ex Episcopis id nomen pri-
mo contigit, adiutus viribus
Lotharingia Ducis semel cum
Hollandorum Principe feli-
citer dimicauit. Superatis e-
nim Hollandis ipse Princeps
captus est, quo postea dimisso
pax sequuta. Hic Antistes an-
num suae gubernationis VII.
vix dum ingressus, desijt in
humanis esse.

Otho.

Otho.

SEQVVTVS est hunc Theo-
doricum Otho quidam iu-
uenis excellenti forma, et in-
genio ad res gerendas apposi-
to, qui haud dubie Traiecten-
sum Dicecesi futurus erat u-
tilis Princeps, si largior conti-
gisset administratio, nondum
enim biennium praefuerat,
quum vita decederet.

Otho secundus.

HOC extincto rogatu Hol-
landiae Geldriaq; Princi-
pum electus est Otho filius Co-
mitis Lippensis, qui ad tem-
pus commissa administratio-
ne fratri suo Hermanno, Im-

Cc ij

peratorem Fridericum in longinquas terras proficiscentem est sequutus; vel quòd opera eius consilioq; uteretur in rebus gerendis imperator, vel ut ipse diuersis peragratis regionibus ad suos rediret peritior. Itaque non multo post reuersus, conflato ingenti exercitu, bellum gessit cum Principe Geldria, qui cum Zelandis facta conspiratione bona Episcopatus temerè adortus fuerat. Legitur eo bello vicisse Otho Antistes, partim caesis, partim fugatis hostibus. Idem postea in prelio occisus est, quòd profectus esset in Frisiam, ad
 ciui-

ciuilem discordiã extinguen-
 dam, quæ apud Grueningos
 orta fuerat. Corpus eius de-
 portatum est Traiectum, atq;
 ibi loci sepultum.

Wilbrandus Badenbur-
 genfis.

IN TEREMPTI Othonis loco
 fit inde Episcopus Wilbran-
 dus Badenburgenfis, vir ma-
 gis strenuus quam doctus. In
 huius tempora incidit mors
 clarissimi & Sanctissimi Gal-
 liarum Regis Ludouici, qui
 postea Diuorum numero ad-
 scriptus est. Wilbrandus IIX.
 annis dignitate potitus è vita
 migravit. Corpus eius Traie-

*ctenses D. Seruatij templo
intulere.*

Otho tertius.

ABillius morte Canonico-
rum suffragijs Episcopatu
est adeptus Otho, appellatio-
nis huius III. vir illustri ortus
familia, qui Traiectensem se-
dem propter assidua bella, tum
crebras inūdationes multum
obaratam studio ac industria
sua in pristinum statum resti-
tuit. Mortuus est quum ad-
ministrasset annos XVI.

Goswinus.

POST hunc electus quidam
Goswinus oblatam sibi di-
gnitatem ultro deposuit. *A*

cuius

*cuius abdicacione Henricus
quidam est creatus Antistes.
Hic fortipectore & armis
cum diuersis Principibus mi-
ro vsque successu belligera-
tus est. Obijt año XLIX. quàm
Reipubl. Traiectensium præ-
fuerat.*

Ioannes Nassauus.

IOANNES Nassauus Epi-
scopus inde creatur. Huius
temporibus anno salutis hu-
manæ CIO. CC. LXXXII. Feste
D. Georgij magna pars Ur-
bis Traiectensis deflagrauit. I-
de conflatione aris alieni Pon-
tificio decore labefactato, post

Cc iij

xx. suae creationis annum dignitate exiit.

Ioannes Syrc.

CVI successit Ioannes quidam cognomento Syrc. tenuitque nouem annos Episcopatum Traiectensem. postea ex auctoritate Potificis Max. Tullensis ecclesiae factus Antistes. huius itaque discessu pastore destitutam sedem accepit Gulielmus II.

Gulielmus Bertoldus II.

GULIELMVS, secundus ab eo Pontifice qui primus ita est appellatus. Hic patria Mechliniensis, primum omnium statuit, ne quis illegitimus

in

in Collegium Canonorum adscisceretur; exstantque super eare Literae. quae tamen postea inualefcente indies magis magisque sacra auri fame, antiquatae sunt. Gulielmus postea bello, quod gessit cum Hollandiae Principibus aliquot, ferro transuerberatus in vestigio concidit, postquam annis v. sedisset.

Guido Auennius Leodiensis.

GUIDO Leodiensis Thesaurarius post Gulielmi eadem a parte Canonorum electus, pro eo adnitentibus magnis principibus, obtinuit E-

piscopatum. Huius temporibus ordo Templariorum primum sublatum est, ob nefandam in mares libidinem. Oblatum sibi à Clemente v. Cardinalicium, Galerum idem Antistes recusavit, indignum sese tanto honore existimans, quem hodie tam multi etiam ambiunt. Guido subita vi morbi pressus, obiit anno mita dignitatis xvi.

Fridericus Syrc.

CVIVS morte Fridericus Syrc Episcopatum adipiscitur, qui ob aris alieni magnitudinem suis tandem contemptui fuit. In Cōmentarijs,
quos

quos ad me dedit Mart. Dorpius, vir Theologica sapiētia clarissimus, inuenio Friderici huius tēporibus, à Ioāne Pōt. xxii. insertū Canonis Missæ Thomam Aquin. Prædicatorij Ordinis virū, qui ingenij sui monumenta reliquit posteris multū profutura. Friderici obitus incidit in annū Virginie partus cId. ccc. xxii. quo anno per uniuersum Traiectensium agrum mare diruptis aggerib. est euagatū, cum multa satorum pernicie.

Iacobus Oosthorn.

IACOBVS Oosthorn, qui defuncto Friderico præfuit, ne-

que fecit quidquam memorabile, neq; annum in gubernatione complevit.

Ioannes Diestensis.

HIC ex Ioannis 22. Pont. Max. decreto successus est Ioannes Diestensis, à quo institutum reperio Collegium Canoniorum Amersfordia.

Nicolaus de Caputiis.

POST Joannis obitum sum-
motis duobus alijs, quos discordantes inter sese Canonici elegerant, Pont. Max. Benedictus XII. in locum demortui successit virum insignem doctrina iuris Nicolaum de Caputijs (ita enim vulgo nomina-

minabatur) qui Nicolaus oblatam sibi dignitatem ut nimis onerosam, intra annum creationis deposuit. Idem non multò post Cardinalitio donatus Galero, Perusia Gymnasio Italia Collegium instituit, ubi perdiscendis bonis artibus idonei iuvenes alerentur, voluitq; ut inter ceteros ex Traiectensi Urbe ad capiendum ingenij cultū missi duo admitterentur. Pulcherrimum certè exemplum, quod utinam hodie Principes imitaretur, quibus video id multo magis cordi est, ut amplis ac magnificis exstruendis adi-

bus magnam patrimonij partem insumant.

Ioannes Arkel.

SEQVTVS est Ioannes Arkel (ita inuenio appellatum) qui adhuc iuuenis florenti aetate declaratus Antistes pro magno habuit negotio, ea redimere Ecclesie bona, quae superiores aliquot Episcopi turpi venditione alienauerant. Hic nisi tam grāde es constasset alienū, haud dubiè clarissimis viris equari potuit. Nemo superiorum Antistitum hoc uno fuit bellacior, nemo sapius cum hoste conflixit armatus; in Hollandos, in Fri-

sios,

sios, in Geldros toties intētata arma, & semper mirō successu. Praefuit rebus Traiectensium annis XXII. postea factus Leodiorum Episcopus.

Ioannes Vernenburgus.

IOANNES Vernenburgus magno omnium bonorū consensu deinde fit Antistes, quidam quodam tempore, ut in rebus bene pacatis, otio indulget, ab hostibus captus non nisi ingenti promissa pecunia redimi potuit. Per hac tempora Traiecti atrocissimè saeuēs pestilentia vastitatem ciuitati attulit insignem, absumptis undecim millibus homi-

num. Excessit Vernenburgus Pontifex anno initi honoris VII. nō sine veneni suspicione.

Arnoldus Hoorn.

POST hunc Arnoldus Hoor
nius ex decreto Pōt. Max.
declaratur Episcopus: nam
dissidentibus inter se Canoni-
cis, vacauerat aliquandiu se-
des. Hic Arnoldus quū Tra-
iecti septennium administra-
set, Leodiensium Antistes e-
lectus est.

Florentius.

CVI Pont. Max. postea suf-
fecit Florentium Episco-
pum Monasteriensem. qui
vir nulli superiorum Antisti-
tum

*tum pietate aut alio virtutis
genere secundus Traiectensi-
um Ecclesie multum splendo-
ris attulit, precandi ardore,
ut insanus à quibusdam in-
crepitus; Quid (inquit) vobis
insanire videor, si quum oves
multas habeam, multū orem.
Hic Florentius publicè in or-
dinem redegit ac sacerdotij
insignibus exiit quendam Ia-
cobum Minoritanæ familie
Fratrem, qui per aliquot an-
nos Episcopatus dignitatem,
falso sibi usurpauerat, qua
quidem sceleratissimi hominis
improbitate factum est, ut
nonnulli qui ab eodem antea*

sacris initiati fuerant, postquam desecratus est, uxorem duxerint.

Fridericus Blankenheim.

FLORENTIO die Parasceues defuncto exactis in administratione x. annis & mensibus v. successit Frider. Blankenheim. qui vir literatura insignis toto administrationis tempore optabili praeiit exemplo; vixit omnibus charissimus ob egregia in Remp. merita; gestisq; bellis aliquot, mortē obiit senex, xxx. annis in gubernatione transactis. funeratus est solenni popa Traiecti in templo D. Martini.

Zwe-

Zwederus Culenburgeris.

ELEGIT postea maior Canonorum pars Rodolphum filium Comitis à Diepholt, quem tamen Martinus v. Pont. Max. non est passus administrare, propterea quod omnium bonarum artium rudis esset, ac idiotæ propemodū. Contulit igitur Episcopatum Traiectensem Pontifex cuidam Zwedero Culenburgeris, viro & erudito & bono, quem septimo administrationis anno sede Traiectenses deturbant, Rodolphum admittunt. Hunc Zwederus, quem

Dd ij

eiectum Hollandi in suam urbem tuendam receperant, Anathematis telo petiuit, verum hanc discordiam, quae per longum tempus durauerat, Philippus Burgundionum Princeps tandem sustulit, precipiens Hollandiae ac Zelandiae populis, qui à Rodolpho descuerant, ut deinceps hunc Rodolphum solum pro Antistite haberent.

Rodolphus à Diepholt.

CIVS temporibus Constantinopolis (Byzantium antiquis dicebatur) primum à Turcis diebus aliquot atrociter oppugata, deinde capta est, magna

magna rei Christianae iactura atque ignominia. diem obiit hic Episcopus anno sui Praesulatus XXIII.

Gisbertus Brederodius.

IN locum demortui Rodolphi Gisbertus Brederodius vir illustris omnium consensu Antistes declaratur, qui duntaxat annum praesuit & menses IV.

David Burgundus.

AGisberto David Burgundus Episcopatum accepit, qui principio nihil habuit antiquius, quam labentem Rempubl. Traiectensium restituere. homo communi utilitati

natus, multa fecit in vita memoratu digna. Mira sunt, quae de huius Antistitis indole fama feruntur, quae nobis eò veritati propiora videntur, quòd nobilissimo ac clarissimo patre Philippo Principe Burgundionum propugnatus est. Administravit, ut ex quibusdam intellexi, aetate XL. & amplius. Humatus Dorestati,

Fridericus Marchio Badensis.

HVic Davidi successit Fridericus Badensis, vir pacis atque otij longè amantissimus, qui nostrâ memoria Lyre Brabantiae opidulo defunctus

ctus est. Hic Antistes quum adhuc in humanis aegeret, Episcopatus administrationem cessit Philippo Burgundo, fratri Davidis Episcopi, qui inter Fridericū & Gisbertum Brerodensem exstitit medius.

Philippus Burgundio.

DE Philippo autem, quum adhuc superstit, nihil dicere constitui, quanquam post initium dignitatem, multa fecit laudabilia: unde in centissimo huiusmodi m. l. c. ut huiusmodi ac prudentia viri, collapsa res Ecclesiae Traiectensis brevi pristina dignitatem



~~FRANCISCO DE~~

~~CAVINE DE UN R. ERIS CO~~

~~namque et dicitur in re~~

~~rico Latina factus~~

~~GENA 1600 N. 100~~

~~MAIO 1600~~

Willibrochus Cl...



~~...~~

~~...~~

~~...~~

~~...~~

~~...~~

~~...~~

~~...~~

